



The Holy See

PIUS PP. X **EPISTOLA QUEM EX PERSPECTA*** AD ANTONIUM TIT. SS. NEREI ET ACHILLEI S. R. E.
PRESBYTERUM CARDINALEM FISCHER,
COLONIENSIVM ARCHIEPISCOPVM, PRO GRATIARVM ACTIONE
OB VOLUMEN, TAMQVAM VENERATIONE OBSEQUIVM SUMMO PONTIFICI EXHIBITVM,
QVO RES OMNES CONTINENTVR IN CONVENTV ECHARISTICO COLONIAE AGRIPPINAE GESTAE Dilecte fili
Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quem ex perspecta tua ac Germaniae Catholicorum sollertia
conieceramus felicem exitum non ita pridem a te habiti Conventus Eucharistici, eundem Nobis testatum voluisti misso
nuper volumine, ad res in eo gestas referendas edito. Publica iam fama, iam ipse quem Roma misimus Ven. Frater
Noster, Episcopus Praenestinus, qui coetui eidem Nostro nomine praesideret, ad Nos attulerant quod istic id temporis
licuit intueri mirandum fidei pietatisque publicae exemplum. Sed amavimus Conventum celebritate refertissimum Nostros
pene ob oculos litteris versari, uno veluti aspectu emetiendum. Et re quidem vera intelligere vix poteris quantum inde
hauserimus solatii, quantaque simus prosequuti animi delectatione quae in eo volumine enarrantur, tum indigenarum
peregre convenientium frequentiam pene innumerabilem, tum disceptationum, quae in conciliis habitae sunt, gravitatem
atque utilitatem, tum mira sacrorum rituum solemnitas atque splendorem, tum denique multiplici significatione egregie
proditam in Christo pietatem et in Apostolicam Sedem observantiam. Gratulamur tibi labores tam prospere exantlatos, iis
vero qui coetui interfuere, pulcherrimum honestissimumque religionis specimen et adauctum inde in Altaris Sacramentum
cultum, precamur omnibus studium usque vehementius erga maximum hoc *fidei mysterium*, in quo, singulari quadam
miraculorum copia ac varietate, et divina caritas et humana elucet dignitas. Auspicem coelestium munerum ac testem
paternae Nostrae benevolentiae gratique in te animi, tibi, dilecte Fili Noster, Clero populoque tuo apostolicam
benedictionem peramanter impertimus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die XIII Februarii MCMX, Pontificatus Nostri anno
septimo. PIUS PP.*

X

*AAS, vol. II (1910), n. 4, p. 144.
